

# MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgiste kantoor: 1040 Brussel 4

## DE TRIPLOCI ASPECTU

## LATINITATIS HODIERNAE



Hornotina sessio Societatis Latinae die 3° m.  
Aprilis feliciter habita est Bruxellis in domo  
Erasmiana (cuius imago adiungitur). Quae societas  
unica est quantum sciam quae sibi sine ambagibus  
proponit, «ut perquiratur quibus modis lingua Latina  
in vita et humanitate hodierna ad commodum  
commune adhibeat et adhiberi possit in usu vivo

loquentium et scribentium» atque huic proposito  
adhuc firmiter et constanter stat. Cum septimus  
decimus iam praeterierit annus a Societate Latina  
Saraviponti condita (a° 1976), non inutile est  
quaerere qualis post hoc temporis spatium factus  
sit linguae Latinae status. Quae lingua iam diu  
tribus modis apprehenditur i.e. a philologis  
universitariis, a magistris linguam Latinam in  
scholis docentibus atque ab eis qui ad linguae  
Latinae usum inter gentes fovendum operam dant.  
Quanta fuisse efficacitas, quanta felicitas si hi  
tres ordines inter se cooperati essent! Infeliciter  
cathedralii professores, paucissimis exceptis,  
maluerunt inclusos manere in sua turri eburnea,  
quae in annos magis angusta fit. Priorum  
philologorum monita negligentes iam nolunt Lat  
ine scribere et praesertim loqui atque suis alumnis  
dissuadent ne hoc faciant. Linguis tantum  
vernaculis modo arido et scientifico de textibus  
antiquis tractant. Sed haec exigua specialitas  
aequalibus nostris videtur esse minimi momenti,  
unde fit ut in studiorum universitatibus provinciae  
linguarum antiquarum extenuentur quin etiam  
supprimantur.

Magistrorum opinio de lingua Latina in scholis  
docenda necessario formatur in studiorum  
universitatibus, ubi odium usus linguae Latinae  
eis inculcatur. Rari sunt qui hac in re sui iuris esse  
audeant atque statuant suo Marte linguam Latinam

ut veram linguam colere. Inde fit ut institutio Latina in scholis redigatur ad mentis exercitationem, quae eo melior habetur quo difficiliores textus appropinquantur. Consulto dico «appropinquantur», quia tam parvum temporis spatium linguae Latinae in scholis nunc tribuitur ut ad intelligentiam talium textuum discipuli vix accedere possint. Non mirum ergo si discipuli concludunt antiquos Romanos nostris aequalibus valde dissimiles esse atque eorum linguam minime aptam esse ad res nostri temporis tractandas.

Deficientibus fere omnibus cathedraliis professoribus et magistris, pauci supersunt linguae Latinae vivae sautores. Etiam conventus universalis Academiae Latinae qui habebitur hac aestate Lovanii et Antverpiae iam non erit totus Latinus. Iohannes Capelle primus Latinitatis vivae coryphaeus post secundum bellum mundanum timebat ne scientiarum naturalium docti impedirentur quominus inter se intellegent propter «babelismum», ut aiebat, i.e. propter multiplicatatem linguarum quibus sua opera divulgabant. Quare proponebat ut lingua Latina, qua diu usa est «res publica litterarum», iterum fieret doctorum lingua communis. Ad nullum vero effectum perductum est hoc propositum, cum numquam et nusquam subsidio et aere publico sustentum esset. Accidit ergo ut una ex linguis vernaculis ceteris praestet, id quod vitare volebat Iohannes Capelle; unitas linguae Anglo-Americanæ, faventibus condicionibus oeconomicis, facile superavit diversitatem linguarum

Europaearum. Plerique scientifici in orbe terrarum nunc lingua Anglo-Americanæ inter se communicare solent. Restat tamen aliud problema. Post cladem secundi belli mundani nonnulli egregii homines operam dederunt ad diversas Europæ nationes inter se infestas reconciliandas atque in unam maiorem rem publicam congregandas. Post multa decennia magnisque conatus ad minimum effectum hoc propositum videmus adductum esse. Una tantum est causa: deest conscientia Europaea. Iterum iterumque iterandum est talem conscientiam tantum oriri posse ex fundamentis culturalibus totius Europæ communibus. Sed nihil factum est ut iuvenes his fundamentis Latinis Graecisque imbuerentur. Institutio scholaris in pessimam viam inducta est a politicis qui omnibus hominibus sortis aequalitatem fallaciter promittunt atque omnibus discipulis prosperum studiorum exitum. Hac de causa nolunt institutione scholari ordinem civium excultiorum formari. «Elitismus», ut aiunt, impugnant, sed iam in hoc ipso vocabulo nunc communiter in linguis vernaculis adhibito inest mendum etymologicum; nam homines excultiores non «eliguntur» sed re vera laboriose formantur! Iocose Latine «elitismus» vocare possimus rapacitatem, vanitatem superbiamque eorum qui civium suffragio «electi» sunt.

Ordo hominum excultiorum omnino necessarius est, qui ceteris sint exemplo; sunt ut ita dicam ossa omnis rei publicae et praesertim rei publicae Europæae condendae. 

Gaius LICOPPE

## RADIOPHONIA FINNICA

NUNTIORUM LATINORUM NOVUM HORARIUM (→ 25 M. SEPTEMBRIS A. 1993)

<i>regio</i>	<i>dies</i>	<i>GMT</i>	<i>kHz/m</i>
EUROPA, AFRICA, ASIA	Saturni die	1830	15440 kHz 19 m
	Saturni die	2130	11755 kHz 25 m
	Dominico die	0450	9730 kHz 31 m 9665 kHz 31 m 6120 kHz 49 m 963 kHz 312 m 558 kHz 538 m
AUSTRALIA, ASIA ORIENTALIS	Saturni die	2150	15440 kHz 19 m
	Dominico die	0800	21550 kHz 13 m 17800 kHz 16 m
AMERICA	Saturni die	0145	15185 kHz 19 m 11755 kHz 25 m
	Dominico die	1330	15400 kHz 19 m 11900 kHz 25 m

# DE ACADEMIA LYNCEORUM (IV)

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

In tertia huius symbolae parte narravimus Rheticum in sua «Narratione Prima» anno 1540 primum divulgavisse Copernici hypothesin heliocentricam. Qua hypothesis certe explicabantur planetarum recessiones sed non accuratores siebant tabulae astronomicae, cum Copernicus fingeret circa Solem, mundi centrum factum, omnes planetarum motus circulares et regulares esse; habebat enim mundi visionem aestheticam: cum Sol pulcherrimus et splendidissimus esset, putabat ei necessario medium mundi locum tribuendum esse.

*«Deinde quod his quidem consentaneum est, Deum in huius theatri medium Solem, suum in natura administratorem, totiusque universi regem divina maiestate conspicuum collocasse.»* (Narratio prima)

Patet etiam Copernicum catholicum canonicum numquam putavisse suam hypothesin astronomiam religionis fundamenta infirmare.

*«Mundi, seu coeli, cuius circumflexu teguntur cuncta, extera indagare, nec interesse hominum, nec capere humanae conjecturam mentis. Et subdit: Sacer est, immensus, totus in toto, imo vero ipse totum, finitus et infinito similis etc. Nam ubi D. praceptor meum sequemur, nihil extra concavum orbis stellati, quod inquiramus, erit, nisi quantum nos Sacrae Literae de his scire voluerunt...»* (Narratio Prima).

Quamquam haec verba non videntur haeretica, Copernicus subiit minas contumeliasque non solum ecclesiae catholicae sed etiam Germanorum protestantium et Lutheri et Melanchthonis.

Re vera perpauci astronomi Copernici heliocentricum systema adsciverunt. Inter exceptiones sunt praesertim Maestlin, Kepleri praceptor et Benedetti, Galilei praceptor. Etiam nominandus est astronomus Thomas Digges, qui primus inter Anglos ad sistema heliocentricum se convertit, cum legisset editionem anni 1566 Copernici operis c.t. «De revolutionibus orbium coelestium». In suo exemplari adnotavit: «Vulgi opinio error» atque huius operis translationem Anglicam confecit quam anno 1576 in lucem edidit.

Sed, deficiente heliocentrismi probatione experimentali, nemo, nisi novarum idearum avidus, hanc theoriam accipere poterat. Eam inter alios numquam accepit Tycho Brahe, nobilis Danus et magni momenti astronomus (1546-1601) qui,

Friderici regis Daniae sumptibus, primum verum caeli observatorium in Europa aedicandum curavit. Quo in observatorio, «Uranienborg» vocato, non longe ab Hafnia (v. Kobenhavn) sito, per viginti annos astra haerentia et vagantia oculis nudis diligenter observavit atque eorum motus systematice notavit instrumentis, quae ad angulos mensurandos conficiendos curaverat. Quas observationes in codices relatas legavit Keplero, qui in eis nixus suas famosas leges de motu errantium stellarum proponere valuit.

Praeterito XVI saeculo ad finem pervenimus huius aetatis, qua astronomi oculis nudis caelum scrutabantur. Anno 1609 Galileus Galilei, cum primus instrumento optico caelum inspexisset, viam aperuit ad novam astronomiam. Sed antequam de eo plura narremus agetur de Keplero, cuius opera magnam partem nituntur in observationibus sine adiumento optico factis.

Iohannes Keplerus (1571-1630) in universitate Tbingensi studuit, ubi astronomiam diligere coepit. In animo tamen habebat theologiae se dedere et pastorem protestantem fieri, cum fortuito invitatus est ad docendum in schola protestantica Gradeciensi (v. Graz). Etiam munere functus est mathematici in Stiria (1594).

Keplerus, ut eius praceptor Maestlin, theoriae heliocentricae Copernicanae favebat; censebat enim theoriam cum observationibus bene congruentem comprobandam esse.

Non diu mansit in Stiria. Gradecium (v. Graz) enim relinquere coactus est propter edictum contra protestantes. Anno 1600 Pragam confugit apud Tychonem Brahe, qui mathematicus erat imperatoris Rudolphi II. Cum Tycho Brahe paulo post mortem obiisset, in eius munus successit. In secunda parte huius symbolae iam narravimus Heckium, sodalem itinerantem Academiae Lynceorum, Keplerum Pragae convenisse; sed Keplerus numquam factus est Academiae sodalis.

Anno 1606 perfecit opus c.t. «Astronomia nova», anno 1609 tantum in lucem editum et imperatori Rudolpho II dedicatum. Ibi stellae Martis orbem enodat sed etiam in introductione verba mirabilia profert, quibus salse demonstrat nullo modo sacris litteris impedirine naturae phaenomena talia qualia re vera sunt observentur et describantur. Quare teneri non possum quin lectoribus huius introductionis excerptum proponam (cfr p. 5).

Iam anno 1604 in scripto c.t. «Ad Vitellionem paralipomena quibus astronomiae pars optica traditur» mathematice descripserat phaenomena lucis refractionis. Anno 1611, id est duobus annis post primam caeli inspectionem a Galileo Galilei instrumento optico effectam, opus in lucem edidit c.t. «Dioptrica» ubi theoriam geometricam horum instrumentorum exponebat.

Anno 1621 in lucem edita est «Epitome astronomiae Copernicanae». Ibi secundum exemplum orbis Martis mathematice describuntur orbes ceterarum stellarum errantium. Anno 1627 Ulmae divulgat «Tabulas Rudolphias» ubi data observationis astronomicae in systemate Copernici ordinantur.

Mirum est virum tanti ingenii, praestantiorum inventorum auctorem, de horoscopis vivere coactum esse.

Tempus nunc est de instrumentis opticis referendi.

XVI saeculo sunt officinae ubi conficiuntur perspicilla<sup>1</sup>. Artifices valent ex vitro lentes<sup>2</sup> concavas et convexas formare, quibus oculorum defectus plus minusve corrigantur. Sunt etiam qui inexpectatos effectus obtinuerint duas lentes componendo. Antonius van Leeuwenhoek, Nederlandus indagator, anno 1590 instrumentum opticum composuit, quo mirum in modum minimas res, quae oculis percipi non poterant, tam maiores apparebant ut visibles fierent. Alii artifices Netherlandi (tunc vocabantur Belgae), quorum nominum memoria evanuit, circa annum 1608 aliam lentum compositionem invenerunt qua res longe abstantes propiores apparebant.

XVI saeculo etiam natus est Pisis Galileus Galilei (1564-1642). Eius familia erat mediocris quamquam nobili stirpe Florentina. Eius parentes anno 1574 Florentiam migrarunt et ipse studuit in monasterio Sanctae Mariae Vallombrosae, ubi ut novicius manere in animo habuit. Sed pater anno 1581 eum in studiorum universitatem Pisanam misit qui medicus fieret. Studia medica ei mediocria visa sunt, quare se ad mathematicam convertit. Etsi universitatem anno 1585 sine ullo diplomate reliquit, tamen in eadem urbe anno 1589 cathedram mathematicae obtinuit. Ibi solum tres annos mansit cum discors esset collegis. Anno 1592 a Senatu Venetiarum obtinuit cathedram mathematicae in universitate Patavina.

Galileo Galilei maxima erat sollertia in instrumentis conficiendis. Cum mense Iunio anno

1609 a Iacobo Baudouere Parisino certior factus esset de proprietatibus instrumenti optici modo in Nederlandia inventi, statim operam dedit ad instrumentum huius generis conficiendum et incepit mirum in modum successit; nam post pauca experimenta obtinuit instrumentum quo tricies (x 30) propiores apparebant res longinquae, cum Nederlandorum instrumentum res tantum quater amplificaret.


Notandum est Galileum suum instrumentum modo empirico confecisse. Effectum enim lentium systematum enodavit, ut iam diximus, Keplerus, qui eorum theoriam geometricam anno 1611 in «Dioptricis» divulgavit.

Sine mora, id est die 21 m. Augusti a. 1609, Galileus miras proprietates sui instrumenti, quod tubum opticum vocabat, demonstravit coram nonnullis patriciis Venetiarum. Eis maximae utilitatis visus est hic tubus opticus, quo maturius agnoscebantur naves ex alto advenientes.

Famosus factus est Galileus quia caelum suo tubo optico scrutari ausus est. Quantum miraculum ei primo adspicere licuit! Patebat Terram eiusdem generis esse ac cetera astra! Inter alia vidit quattuor satellites circa Iovem vertentes, unde facilius intellegebatur Lunam Terrae satellitem esse. Quae omnia accuratissime observata et descripta in opusculo c.t. «Sidereus Nuncius» Venetiis divulgavit die 12 m. Martii a. 1610 id est fere eodem tempore quo Keplerus secundam ex suis famosis legibus de motu planetarum publicabat. Sidereus nuncius vera cautissime conscriptus est cum Giordanus Brunus ab auctoritatibus ecclesiasticis imprimis modo horribili cruciatus anno 1600 Romae igne interfectus esset, propterea quod affirmabat Terrae et ceterorum astrorum naturam esse similem.

Iovis satellites, quos invenerat, Galileus nominavit «Astra Medicea», blandiens novo Magno Duci Tuscano, Cosmo II Mediceo. Ab eo obtinuit ut Florentiam reverteretur, ubi a mense Septembri anni 1610 mansit, titulo primi mathematici philosophique Magni Ducis praeditus.

Anno 1611 verno tempore Galileus Galilei sodalis factus est Academiae Lynceorum. Fuit initium frugiferae sed periculosae cooperationis, de qua referemus in sequenti parte.



<sup>1</sup> perspicillum = Fr. lunettes, Engl. glasses

<sup>2</sup> lens = Fr. lentille optique, Engl. lens



**AD OBJECTA DE SACRARUM LITTERARUM DISSENSU ET AUCTORITATE**

Sunt autem multo plures illorum, qui pietate moventur, quominus assentiantur Copernico, metuentes, ne Spiritui Sancto in Scripturis loquendi mendacium impingantur, si terram moveri, solem stare dixerimus.

Illi vero hoc perpendant, cum oculorum sensu plurima et potissima addiscamus, impossibile nobis esse, ut sermonem nostrum ab hoc oculorum sensu abstrahamus. Itaque plurima cottidie incidunt, ubi cum oculorum sensu loquimur, etsi certo scimus rem ipsam aliter habere. (...) Sic Christus Petro: *Duc in altum; quasi mare sit altius litoribus.* Sic enim apparet oculis et optici causas demonstrant huius fallacie. Christus vero sermone utitur receptissimo, qui tamen ex hac oculorum fallacia est ortus. Sic ortum et occasum siderum, hoc est ascensum et descensum fingimus: cum eodem tempore solem alii dicant descendere, quo nos dicimus illum ascendere. (...) Et cetera similiter.

Iam vero et sacrae litterae de rebus vulgaribus (in quibus illorum institutum non est homines instruere) loquuntur cum hominibus, humano more, ut ab hominibus percipientur; utuntur iis quae sunt apud homines in confesso, ad insinuanda alia sublimiora et divina. (...)

Generatio praeterit (ait Ecclesiastes) et generatio advenit, terra autem in aeternum stat. Quasi Salomon hic disputet cum astronomis? Ac non potius homines suae mutabilitatis admoneat, cum terra, domicilium humani generis, semper maneat eadem, solis motus perpetuo in se redeat, ventus in circulum agatur redeatque eodem, flumina a fontibus in mare effluant, a mari in fontes redeant, denique homines his pereuntibus nascantur alii, semperque eadem sit fabula vitae; nihil sub sole novum. (...)

Atque ego lectorem meum quoque obtestor, ut non oblitus bonitatis divinae in homines collatae, ad quam considerandam ipsum Psaltes potissimum invitat, ubi a templo reversus in scholam astronomicam fuerit ingressus, mecum etiam laudet et celebret sapientiam et magnitudinem Creatoris, quam ego ipsi aperio, ex formae mundanae penitiori explicatione, causarum inquisitione, visus errorum detectione, et sic non tantum in telluris firmitudine et stabilitate salutem universae naturae viventium ut Dei munus exosculetur, sed etiam in eiusdem motu tam recondito tam admirabili Creatoris agnoscat sapientiam.

Qui vero hebetior est, quam ut astronomicam scientiam capere possit, vel infirmior, quam ut inoffensa pietate Copernico credat, ei suadeo ut, missa schola astronomica, damnatis etiam si placet philosophorum quibuscumque placitis, suas res agat et ab hac peregrinatione mundana desistens domum

**ASTRONOMIA NOVA  
ΑΙΤΙΟΛΟΓΗΤΟΣ,**

SEV

**PHYSICA COELESTIS,**

tradita commentariis

DE MOTIBVS STELLÆ

**M A R T I S,**

Ex observationibus G. V.

TYCHONIS BRAHE:

Jussu & sumptibus

**R V D O L P H I II.**

**R O M A N O R V M  
I M P E R A T O R I S &c:**

Plurimum annorum pertinaci studio  
elaborata Pragæ.

A. S. C. M. S. Mathematico  
JOANNE KEPLERO.

Cum ejusdem C. M. privilegio speciali  
ANNO M. CCCC. D. M. Dionysianæ cl. I. c. ix.

ad agellum suum excolendum se recipiat, oculisque, quibus solis videt, in hoc aspectabile caelum sublatiss., toto pectore in gratiarum actionem et laudes Dei Conditoris effundatur. (...)

Atque haec de sacrarum litterarum auctoritate. Ad placita vero Sanctorum de his naturalibus, uno verbo respondeo: in theologia quidem auctoratum, in philosophia vero rationum esse momenta ponderanda. Sanctus igitur Lactantius, qui terram negavit esse rotundam, Sanctus Augustinus, qui rotunditatem concessa negavit tamen antipodas, Sanctum Officium hodiernorum qui, exilitate terrae concessa, negant tamen eius motum; at magis mihi sancta veritas, quia terram et rotundam et antipodibus circumhabitata et contemptissimae parvitatis esse et denique per sidera ferri, salvo Doctorum Ecclesiae respectu, ex philosophia demonstro.

Ioannis Kepleri Astronomia nova,  
1609, introductio.

# IN AFRICAM REX BELGARUM LEGATUM MITTIT LATINISTAM

*Legatus regis Belgarum apud Malavium et Zambiam nuper creatus est sodalis noster Dr Lucas Willemarck, strenuus Latinitatis vivaे propagator. Optime factum! Nam Malavi praeses Kamuzu Banda linguae Latinae multum favet. Cum novo legato oratio salutatoria secundum morem esset habenda, occasionem praetermittere noluit eam partim... Latine faciendi:*



*Lucas Willemarck legatus regis Belgarum atque Kamuzu Banda praeses rei publicae Malavinae*

«Last but not least, I would like to mention our cooperation in the field of education. V.V.O.B., has indeed up to 10 representatives in Malawi, active in various branches ranging from veterinary medicine, sociology, psychology and also, most important, classical philology.

«Indeed, Mr. Life President, you are very well renowned within the community of classical philology, as being Africa's most prominent promotor of latin and classical studies in general.

«Honoratissime praeses sempiterne rei publicae Malavinae, ut verum confitear, magno mihi honori esse videtur quod regi Balduino placuit me legatum mittere ad maximum vivum totius Africæ Latinitatis fautorem.

«Quo autem gaudio immo vero admiratione completus sim, ut primum nonnullos ante annos accepi, professore Valahfrido Stroh Monacensi ludos

Latinos Augustae Vindelici edente, studia Latina non Europæ finibus circumscribi sed in ipsa Africa quoque valde vigere, vix dici potest. Nullum vero mihi est dubium quin praeses sempiternus Doctor Banda neminem vere eruditum habendum esse, nisi qui Graece et Latine aliquatenus didicisset, recte censuerit, putans nil esse cur id apud Malavinos minus valeret, quod ii ab Europa longius abesse viderentur.

«Quis est enim qui neget tot tantisque his diebus omnes totius orbis terrarum populos inter se coniungi vinculis, tam omnia omnibus communia esse, ut eo magis opporteat Malavini quoque antiquorum patrimonii participes sint, quod antiquitus Africani ipsi, sanctum equidem Augustinum dico atque Apuleium, inter optimos scriptores Latinos numerabantur. Septimio Severo imperatore Africa ad summam etiam potestatem imperii Romani pervenit.

«Academia Kamuzu electis totius rei publicae filiis et filiabus ingenii acerrimi praestanti prudentia occasionem utriusque culturae colenda cum Africanorum tum Europaeorum praebet.

«Huius enim academie institutione qui discipulus imbutus sit, cum nullam esse rationem cur altera cultura alteri anteponenda esset didicerit, quo modo praecincta antiquorum virtuti Africanae ad veram humanitatem promovendam accommodet, optime mente complectitur.

«Sunt autem officia quae neque nostræ neque antiquæ neque ullius aetatis liminibus circumscribantur. Hoc autem Marcus Tullius Cicero ille suis verbis mirificissime expressit: "Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnis, constans sempiterna, quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari aliquid ex hac licet, neque tota abrogari potest, nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus, nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit".

«Quod ut explicemus exemplum celeberrimum tragœdiae antiquæ afferamus. Aut vero nemo, aut si quisquam vir Africanus, quippe qui sanctæ leges propinquitatis funerisque quam maximi momenti sint optime sentiat, cur Antigone iuste

meritoque potestati restiterit recte  
comprehendit.

«Quod si nihil Malavinis maiori est  
curae quam ut opera antiqua nostris  
temporibus accommodent, oportet  
memoria teneamus Homeri Odysseam  
culusdam scriptoris Malavini calamo in  
linguam vernaculam Chichewa esse  
versam.

«Quae cum ita sint, quid amplius dicam  
quam: Pergite, Malavini, ut instituistis.  
Vivat Latinitas, vivat cum praeside  
sempiterno Latinissimo res publica  
Malavina.

«Your Excellency, it will be a great  
honour, for me, to continue the action of  
my predecessors, may I hope with your  
benevolent and wise support.

«Your Excellency, allow me, once more,  
to present the sincere and deeply felt good  
wishes of His Majesty King Baudouin for  
your personal well-being, for the success  
of your leadership in Malawi, and the  
triumph of justice and peace in Africa.»



Academiae Kamuzu modernus aspectus

Cum his paginis agatur de Africa, liceat nobis Melissae Africanos lectores  
salutare, qui in dies plures fiunt, praesertim in Zaire. Mirandum est quod  
linguae Latinae institutio in scholis Zairensibus alisque Africanis quadam ex  
parte melius videtur se habere quam in nostris Europae regionibus.

Haec institutio est viva. In Senegal, exempli gratia, impellente praeside  
Leopoldo Sedar Senghor, anno 1977 editi sunt libri scholares Africanis  
discipulis adaptati (F.R. CHAUMARTIN, J.P. BLAIZE, F. DIARA, A. MARTY,  
*Africani Latine discunt*, Dacariae, Les Nouvelles Editions Africaines, 1977).  
Quod opus multis de causis est singulare: imprimis argumenta pertinent ad  
vitam Africanam: personae vocantur Maimuna sive Mamadus; insunt casae  
et plures pantherae quam vaccae; etiam auctores antiqui inter Africanos electi  
sunt, sicut Apuleius. Sed hoc praesertim est admiratione dignum: nullum  
verbum inest nisi Latinum. Item neque magistro neque discipulis inter  
Latinam lectionem ulla alia lingua uti licet. Ecce methodus commendabilis!



# MARIA ANDREAS DE CHALIGNY DE PLAINE

(1717-1805) POETA LATINUS (II)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

PRAETERITA GALLIARUM FELICITAS, MALUM PRAESENS  
ET PROXIMUM EXITIUM

Gallos rebelles quis furor incitat?  
Quid tam ferox nunc impietas parat?  
Quae vis potenter vos coegit  
omnia iura simul negare?

Peracta iam quot bellica saecula  
caelo superbas extulerant manus!  
Gens nulla, cives, tot triumphos  
annumerare sibi valebat.

Rex unus astans imperio pater,  
reges in ipsos imperio potens,  
vel pace firma, aut iure belli  
ut deus alter opem ferebat.

Gentes ad aulam hanc agminibus citis  
ex orbe toto tempore quolibet  
cum thure multo quam dicabant  
principibus sua vota nostris!

Quam pompa grandis perpetuum decus  
addebat urbi! Quam populus frequens  
regis triumpho fronte laeta  
plausibus atque suis favebat!

Templum Themis quam nobilis hospita  
vultu decoro praesidibus bonis  
mundoque cultu tunc solebat  
auspiciis dare iura sanctis!

Caelo tonantem tunc venerans Deum  
ad Gallus aras poplite supplici  
quam vota semper corde puro  
et sua dona pius ferebat!

Quot templia luxu splendida regio  
laudare passim vidimus advenas!  
Fervebat ingens aula plausu  
supplicibusque Deus favebat!

Pax alma campos summaque copia  
ornabat urbes divitiis suis,  
illaeque gratae se beatas  
sub patriae patribus caneabant.

Artes colebat civis amans suas:  
Pactolus agris hic erat aurifer;  
vivace dextra terra fructu  
multiplici recreabat omnes.

Sed cuncta nobis abstulit impie  
coetus virorum barbarus et ferox,  
statuta regni sancta spernens  
imperioque suo protervus.

Rex ergo nullus qui modo praepotens  
et paene divis ordine par erat:  
nunc captus et sic absque sceptro  
carcere clauditur haud honesto.

Vanescit ergo iustitiae thronus,  
maerent ministri quos coluit Themis;  
lancesque fractas turba vilis  
corripuit manibus scelestis.

Sanctas in aedes fortiter irruit,  
invasit aurum puraque munera:  
dispersit ergo quae sacrarat  
casta fides et amor parentum.

Nudat ministros et spoliis modo  
ditatur amplis, non sine criminis;  
sed nulla terrent; et fruuntur  
his opibus facilique furto.

Turbam sed illud non iuvat impiam,  
nec regna solvunt maxima debita;  
spes vana fallit tot latrones  
cunctaque sunt proprius ruinae.

Quam summa crescit census et omnium  
gentis malorum! Quam populi fames!  
Infrima quantum frena rumpens  
ad furias facile recurret!

Labuntur et nunc in chaos ordines,  
sunt mille reges, quilibet imperat;  
sub lege quisquis non gemebat  
omne iugum furiosus arcet.

Ni cuncta primum suscipiant modum,  
ni sceptra regi restituat furor,



ni mox Deo se subdat error,  
interitus manet unus omnes.

At vos nefandae parcite dexteræ!  
Iam tempus instat quod scelus explet.

Quales ruinae vos minantur!

Fulminibus meritis cadetis!

le 17 9bre 1790

après souper

IN PROXIMAM CANONICORUM DISPERSIONEM (3 9<sup>BRE</sup>  
1790)

Augusti cineres, sanctorum corpora, vestris  
surgite de tumulis nempe vocante Deo:  
illius en aedes desertas impius error  
esse iubet, sacris et vetat esse locum;  
crimina cum frustra quaesisset in ordine sancto,  
turpiter invasit religionis opes;  
quin etiam audaci subvertens omnia dextra  
destinat hic igni templa domusque pias!  
Vos, iusti proceres, circumdate numinis aram,  
reddat et ablatum curia vestra decus.  
Nos lacrimas extra fundemus limina templi,  
intus at est vestrum solvere vota Deo.  
Caelestes animae, sub vasto fornice coetus  
nocte dieque habeat quaelibet hora sacros.  
Non erit humanis oculis haec pompa videnda:  
vos soli testes et Deus unus erit.  
Attamen alma fides tenebras a lumine tollat  
auris et ad tales apta sit ipsa sonos.  
Haud mora, curvabo supplex ad limina frontem  
hospitibus plaudens, atria sancta, suis.  
Nos miseri nimium mortales tura dabamus;  
in manibus castis purior ignis erit.  
Omnes caelicolae stabunt altaria circum,  
illaque sic fient, quam bene digna Deo!  
I nunc et tristes, furor, ex altare triumphos  
non dubita; victos quanta corona manet!  
Infandum iniustos det saeculum nunc tibi plausus,  
at nobis laudes posteritatis erunt.

### BRUGES (BRUGAE)

Quam bene percebres veniunt ad carmina Brugae,  
quae Belgas inter se magnis urbibus aequam  
Mercurio Plutoque simul gens servit ab annis:  
antiquas fovet ille artes, sed et iste ministrat  
quidquid ab aurora populis sua classica vectant.  
Brugensi debet quantum pictura Ioanni,  
qui primus docuit mansuros arte colores  
reddere, pulveribus variis dum miscet olivam!  
Urbs habet expansos portus plenumque canalem,  
qui circumfusis muros bis circuit undis.  
Supremum sibi numen habet sua templa, decorat  
quae manus artificis pulchri, quae nescia leges  
servare et grandes Graecorum reddere formas.  
Carolus hic requiem invenit post aspera bella,  
quae ferus in multos raro feliciter egit.  
Civibus at placidis nova nunc aurora resulget,  
Mercurio Plutoque datur servire quotannis;  
ut quondam Gallo Bruges Marte tuerentur.

POLIGNAC, 1661-1741

Quam bene maiestas toto diffunditur ore,  
frontis et augustae gratia quanta simul!  
Sarmaticum iuvenis potuit frenare senatum,  
gentibus attonitis stella polaris erat.  
Ausonios etiam reginam orator ad urbem  
missus devicit primus ubique virum.  
Sacrae pontificum sedi cum proximus esset,  
an mundi imperio dignior ullus erat?  
At dum tanta manu pertractat commoda regum,  
ad iuga Parnassi factus Apollo sedet.  
Aemulus errores calamo impugnare Lucreti  
audet et eloquio non minor hoste tonat.  
Nempe suum vatem sibi iam sacrarat ad aras  
religio, lauru cinxit et ipsa comam.  
Quam melior frontem exornat super astra corona!  
Hic quam concilio nobiliore sedet!

\* \* \*

### ADNOTATIUNCULAE

#### PRAETERITA GALLIARUM...

Fons: Lutet. Paris., Bib. Sanctae Genovæfae, cod. m.s. 2418, f. 9r-v.

Scriptum anno 1790.

v. 47: captus: Ludovicus XVI.

v. paenultimo: vos = vobis; cfr. e.g. DRAC. laud. dei 1, 307.

#### IN PROXIMAM...

Fons: Lut. Par., Bib. S. Genovæfae, cod. m.s. 2418, f. 2v.

Scriptum a. 1790.

v. 20: atria: sic intellege: «ad limina, id est (ad) atria sancta».

v. 20: suis = eorum (ut saepius fit in poesi neolatina).

BRUGES

Fons: Lut. Par., Bib. Nat., cod. m.s. Fr. 9366, coll. 185-186.

v. 5: classica: ad navium classes pertinentia.

v. 6: Joannes: Van Eyck (obiit Brugis a. 1441).

v. 11: decorat: vocabulum, quod metro repugnat, vix potest legi; ad tempus servavimus (estne confusio exorta ex adiectivo *decorus*?); an *deornat* legendum?

v. 14: Carolus: Carolus, ni fallor, Temerarius (1433-1477).

v. 18: tuentur: sensu passivo, ni omnia fallunt; cfr. e.g. VARRO, *rust.* 3,1,4.

POLIGNAC

Fons: Extraits d'un ouvrage de treize à quatorze mille vers latins, contenant: les Rois, Reines et Princes des trois Dynasties du Royaume de France; les grandes villes; les belles Eglises; les Monumens remarquables; les grands Généraux; les grands Hommes dans le Ministère, dans l'Eglise, dans les Ordres Religieux, dans les Sciences, dans les Arts. Ouvrage commencé en 1777, et fini en 1779, in: M.-A. de Chaligny de Plaine, *La religion, essai d'un poème épique (Parisiis, (1784))*, pp. 183-208 (pp. 197-198).

Tit.: Melchior de Polignac cardinalis idemque poeta Neolatinus, qui contra Lucretium *Anti-Lucretii* libros conscripsit.

v. 3: Sarmaticum: Polignac a. 1693-1698 legatus erat apud Polonus.

v. 5: regina urbe: idem annis 1724-1732 Gallorum legatus erat ad S. Sedem.

v. 11: *Anti-Lucretius* post poetae mortem anno 1747 publici iuris est factus. 

---

## UT PICTURA POESIS (II)

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

Iam medio aevo orta videtur esse opinio Horatium in Arte poetica (361) *Ut pictura poesis* scribentem his duobus artis generibus, picturae et poesi, ordinem quandam dignitatis destinare voluisse - proinde ac si dixisset: «Sit poesis, ut pictura!», id est omnibus poetis pictores magistrorum loco habendos esse, quia ars pingendi per se nobilior esset arte poetica. Quamquam Horatius revera numquam talia dixerat, tamen fieri non potuit, quin illa opinio aetate renascentium studiorum humanitatis percrebresceret. Clarissimus auctor eius posteriore parte saeculi quinti decimi et initio sexti decimi erat Leonardus da Vinci, qui pictores tanti aestimabat, ut eos «veritatis dominos» appellari et «cum ipso Creatore comparari» posse censeret, poetarum autem optimos quoque veritatem imitari tantum contendenter.

Leonardi auctoritas quantum valuerit, ex eo appareat, quod poesis quae vocabatur iconica etiam sequentibus saeculis vulgo plurimi siebat ac poetarum antiquorum loci amoenissimi ii iudicabantur, quibus singulae partes alicuius picturae eleganter describerentur. Fervidissimos sectatores talis iudicii fortasse praetererit non modo


pictores poetis, sed etiam poetas pictoribus haud paulum materiae dedisse, e qua nova opera crearentur. Praesertim Metamorphoses Ovidii ea ipsa de causa summam laudem assecutas esse constat, quod plurimum praebherent materiae mythologicae ad pingendum aptae. Pictor Italus Alexander Botticelli, cuius e notissimis picturis una Italico nomine «Primavera» appellatur, ad veris depingendi studium excitatus esse videtur his versibus T. Lucreti Cari (De rerum natura V 737-740):

*It ver et Venus et Veneris praeuntius ante pennatus graditur Zephyri vestigia propter Flora, quibus mater praespargens ante vias cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet.*

\*  
\* \*

Duodecimmo demum saeculo poesis servili illa condicione a viris doctis sibi data liberata est. Tum Gotthold Ephraim Lessing in libro, cui titulus est *Laokoon oder über die Grenzen der Malerei und Poesie*, haec duo artis genera inter se protinus

## LA CRAVATE ET LA MONTRE



Unum e poematis, quae "Calligrammatis" Guilielmi Apollinaris continentur, *La cravate et la montre* (Focale et horologium) inscribitur. In eo, "si longius abstes" (Hor. AP 362), vix quidquam discernas nisi verba ita collocata, ut iis picturae focalis et horologii delineentur; sin "propius stes" (AP 361), invenias etiam sententiam rationalem illis verbis expressam, "iudicis argutum quae non formidat acumen" (AP 364).

comparari non posse censuit, ut quorum dissimilia essent subsidia. Pictorem enim res variis coloribus decorare ac variis tabulae suae locis disponere, poetam autem res gestas verbis describere ordine temporis observato; illum igitur coloribus et spatio locali, hunc verbis et spatio temporali uti.

Titulum libri sui anno 1766 editi Lessing e notissima sculptura antiqua sumpserat, quae ducentis sexaginta annis ante Romae in ruinis Domus Aureae Neronis inventa erat, atque e versibus Vergili eandem rem sive interitum Laocoontis filiorumque eius describentibus (Aen. II 199-234). Hos versus ideo bene compositos esse existimabat, quia poeta in iis non singulas partes

picturae confectae enumerare instituisset, quod nemini quidquam nisi taedium incere posset, sed angues e mari surgentes et Laocoonti minaciter appropinquantes atque huius desperatam adversus eos pugnam continuo carmine describens animos audientium et legentium cepisset, qui omni tempore intenti exspectarent, qualis futurus esset eventus rerum (cf. Melissa 50/1992, p. 13).

\*  
\* \*

Opus Lessingianum, quamquam eximio acumine ingenii compositum est, tamen in hac re non plus quam dimidiam partem veritatis continet. Id certe illi viro doctissimo laudi tribuendum est, quod novis de picturae et poesis mutua relatione disputationibus exordium dedit. Evidem ea, quae Lessing de spatio temporali disseruit, in carmina epica et poesim dramaticam necnon in narrationes pedestri sermone compositas optime convenire arbitror, in quibus singularum rerum gestarum suo quaeque tempore sive audientem sive spectantem sive legentem velut ordo chronologicus sive «lucidus ordo» temporis, quem Horatius in Arte poetica (41) laudat dicens hanc esse eius

### LA CRAVATE

DOU  
 LOU  
 REUSE  
 QUE TU  
 PORTES  
 ET QUI T'  
 ORNE O CI  
 VILISÉ  
 OTE- TU VEUX  
 LA BIEN  
 SI RESPI  
 RER

"La cravate douloureuse que tu portes et qui t'orne, O civilisé, ôte-la si tu veux bien respirer!"

(Focale dolorosum quod portas et quod te ornat, O exculte, exue id, si vis bene respirare!)

virtutem et venerem, ut scriptor «iam nunc dicat iam nunc debentia dici, pleraque differat et praesens in tempus omittat» (AP 43-44).

Lyricorum autem carminum alia est natura. In iis saepe nullae narrantur res gestae, quarum priores posterioribus excipiuntur; immo multorum carminum lyricalia subtilitas eo constat, ut tempus in iis velut haereat et novae quaedam dimensiones aperiantur. Ipse hoc sum expertus cum alias lyrics tum poetam Italum Iohannem Pascoli cognoscens, cuius ex operibus praecipue Myrcae lyricum habent colorem, non epicum (cf. Melissa 50/1992, p. 14-15).

Hanc lyricalae poesis naturam peculiarem Lessing non videtur satis intellexisse. Meminerimus denique eum aetate classicismi vixisse, qua complures recentiores sectae litterariae nondum natae erant, neque igitur cognovisse romanticismum, non realismum et naturalismum et verismum, non impressionismum, non

expressionismum, non decadentismum et symbolismum et surrealismum et futurismum et hermetismum et crepuscularismum. His et aliis «-ismis» veteres termini inter litteras epicas et lyricalam poesim constituti multimodis sublati sunt.

Nec melior sors obtigit terminis picturam et poesim dividentibus. Sunt poetae moderni, qui nonnumquam versus suos dedita opera ita componant, ut ex iis simul pictura fiat; e.g. Guilielmus Apollinaris in quibusdam poematis operis sui, cui titulus est *Calligrammes*, non modo verbis describit res vari generis, sed etiam litteris personali ratione collocatis imagines earum delineat. Huius modi technopaegnia a poetis Graecis aetatis Alexandrinae originem trahere commemorat Genovefa Immè (Amatoria Periegesis, p.210), quae ipsa quoque a Theocrito exemplum petens primum carmen libri sui (*Syringe praecinamus!*) ita composuit, ut distichis eius velut fistula decem calamorum construeretur (p.10-11):

### SYRINGE PRAECINAMUS !

Nos peregrinantes per longinas regiones  
nescieramus tunc quo nos ducturus hic esset

multivagus cursus currens ad amoena loca:  
Hortos, planities, montes vel colliculos,

marmoreas statuas vel pulchra palatia  
nam credebamus nos solum quaerere,

et periegessin faciebamus...

At sensim reptans Amor insequitur

et molles cantus iam praecinit  
ut numeris conduceat amantes !

Fistula nam constructa decem  
his calamis, quos ipse vides,

in manibus retinetur:  
Tunc peregrinati sumus

per Veneris furias  
mollitiesque hilares:

Tuque viae comes,  
lector, prodi !

Solus erit  
ductor Amor !

### PRELUDE POUR FLUTE

Nous partîmes un jour à travers monts et plages:  
Nous ignorions encor le terme du voyage,

cette course errante qui nous appellait  
par plaines ou vallons, volcans ou palais:

beautés de la Nature ou des artistes:  
Nous nous croyions simplement des touristes

de site en site se remuant....  
Mais un jour Amour s'insinuant

verse aux amants qui communient  
une douce et tendre harmonie

sur un décuple pipeau  
dont voici les dix tuyaux:

Alors nos pas progressent  
par élans de tendresses.

Si tel est ton goût,  
ô lecteur, suis-nous

en ce voyage  
au fil des pages

que toujours  
mène Amour !

Series decem "calamorum", quibus constructa est "fistula" Latina supra posita, a longissimo (= a duobus integris versibus hexametris) incipit, brevioribus longiores ita sequentibus, ut ambo versus infimi "calami" e quattuor tantum syllabis constent.


Post aetatem Lessingianam reperta est etiam ars cinematographica, quae pariter vocibus et coloribus, pariter temporali ac locali usa spatio subsidia diversarum artium feliciter coniunxit.

Una re poesis, sicut omnis ars verbalis, in certamine cum reliquis artibus destitui videtur, quod artioribus quam hae vinculis cum lingua sua ligata est. Pictura et sculptura spectatores itemque musica auditores diversarum nationum magis universalis, ut ita dicam, lingua alloquuntur. Litteras autem peregrina lingua scriptas quicunque penitus intellegere studet, necesse est prius multum et operae et temporis impendat illi ipsi linguae descendae. Tum demum, cum «multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit, grammaticam didicit prius extimuitque magistrum» (cf. AP 413 et 415), talem potest consequi doctrinae gradum, ut litterarum radicibus amaris post tergum relictis fructus earum dulces possit sumere.

Nihilo minus arti verbali nonnulla sunt «arma secreta», partim visualia, partim acustica, quae bene adhibita eam ceteris artibus parem extollunt sociam. Arma visualia sunt metaphorae sive callidae iuncturae, quae e verbis velut vivas imagines faciunt. De iis me iam in priore parte acroasis meae satis disseruisse arbitror. Restat igitur, ut de armis acusticis pauca addam.

Sunt in omnibus linguis verba quae vocantur descriptiva, id est habitu suo phonetico rem a se designatam imitantia. Quo fit, ut e.g. si quis Finnice dicat: *Lammas määkii* «Agnus balat» vel *Varis vaakkuu* «Cornix cornicatur» vel *Käki kukkuu* «Cuculus cuculat», quivis etiam linguae Finnicae ignarus facile divinet, quo de animali agatur. Evidem saepe in versibus Eclogarum Vergili, etsi interdum subdifficiles sunt intellectu, tamen eleganter recitatis audire mihi videor vocem quandam musicalem fistulae. Itidem rhythmus haud exiguum vim acusticam habet. Horatius ipse celeres iambos spondeis stabilibus opponit simulque Ennianorum versum rudem gravitatem spondeis usurpati atque operae eius nimiam celeritatem dactylis adhibitis irridet (AP 251-262). Versus spondiacus nonnumquam velut minas occultas continet: «*Invitum qui servat, idem facit occidenti*» (AP 467).

In antiqua poesia omnia haec eo maioris momenti sunt, quod olim carmina rarius oculis legebantur quam recitata audiebantur. Ad vim aut suavitatem acusticam augendam, ut notum est, etiam musica adhibebatur. Ne tibicines quidem nec citharoedi ab Horatio veniam impetrabant, si munere suo male functi efficerant, ut carmen recitatum aut fabula in scaena acta populo minus placeret (cf.



*AEDES VETUS (V.E. Törmänen et Y. Kilpinen)*

*Aedes vetus procul in desertis,  
vitris fractis, foribus apertis.  
Labat turris, aqua transit tectum,  
musco templi culmen est contectum.*

*Aedes suaem meminit iuventae:  
turba Christiana tum praesente  
psalmi post sermonem consonabant,  
corda peccatorum conflagrabant.*

*Aedes vetus nunc est desolata,  
mater ut singultat contristata.  
Pia gens in pulvrem mutatur.  
Quis scit, senex quando collabatur.*

(Latine reddiderunt E. Palmén et T. Pekkanen)

e.g. AP 214-219, 355-356, 414-415). Hoc vero argumentum admodum amplum mihi non est in animo nunc fusius tractare; satis sit id leviter perstrinxisse.

Denique ut sentiatis e pictura et poesi et musica etiam hodie tripartitam quandam componi varietatem, cuius unaquaeque pars ceteras suppleat, vobis paululum iconicae, ut ita dicam, musicae audiendum praebere velim. V.E. Törmänen, poeta Finnus, quibusdam carminibus suis solitudinem regionum montanarum Lapponiae egregie descriptis. Ex his carminibus Georgius (v. Yrjö) Kilpinen musicographus cantiones fecit, quae ea de causa *Tunturilauluja* «Cantiones montanae» appellantur. Una ex iis, *Vanha kirkko* («Templum

vetus» sive «Aedes vetus») inscripta, tres habet strophas. Harum in prima aedes illa sola et deserta exponitur; in secunda autem eadem aedes annos praeteritos recordatur, quibus «tuba Christiana praesente psalmi post sermonem consonabant, atque interdum «corda peccatorum conflagrabant» (verbatim: «frangebatur nonnumquam callum asperum peccati»); in tertia stropha redditur ad praesens tempus, quo «pia gens in pulverem mutatur» ac iam in eo est, ut ipsa moribunda «senex collabatur». Tota cantio res humanas caducas esse monet, summusque in ea maeror praevalet. Secunda tantum stropha, praeteritae «lucundae iuventuti» dedicata, ceteris minus tristis est. ☩

## EUTHANASIA: UTRUM LICEAT AN NON

SCRIPSIT LEO STOELINGA

*Quid de euthanasia? Gravis quaestio, de qua permultas horas possimus disputare afferreque exempla diversa. Regimen Netherlandicum nuper*



In Nederlandia nuper leges de caede et homicidio mutatae non sunt. Lex mortem voluntariam vetat. Is, qui alicui auxilium in morte voluntaria tulit, lege condemnari potest, ut maximum per duodecim annos in carcere inclusus teneatur. Haec fuit lex, haec erit lex.

Sed in parlamento pars maior legatorum propositum regiminis accepit, quod de medicis agit, qui aegrotis in morte voluntaria auxilium ferunt.

Regimen proposuit hoc:

Ex decreto generali regiminis exactissime praescribetur, qua ratione medicus agere debeat, qui aegroto auxilium in morte voluntaria latus sit aut qui ipse aegroto mortem voluntariam allatus sit. Si ea ratione medicus egerit, non condemnabitur. Haec praescripta ut appendices sive explicationes legibus de funere adiungentur.

*proposuit ut nova praescripta leges in hac re paululum mitigent. Leo Stoelinga Nederlandus rem nobis explicat.*

Cur leges non mutatae sunt, ut medicus in casu eiusmodi lege liber sit a poena? Aut cur medicus non condemnatur legibus vigentibus? Causa est haec:

Duae maiores factio[n]es politicae sunt factio Christianorum Democratarum unionis et factio Laboris, i.e. factio Socialistarum. His duobus factionibus regimen hodiernum rei publicae Nederlandiae nititur. Cum factio Christianorum euthanasiam omnino disprobet et cum factio Socialistarum euthanasiam quibusdam modis et casibus probet, regimen rei publicae proposuit, primum ut leges immutatae maneant, ita ut factio Christianorum contenta sit, secundum ut ex decreto generali regiminis medici in talibus casibus liberi a poena sint, ita ut factio Socialistarum contenta sit.

Quamquam factio[n]es politicae nunc contentae et satisfactae sunt, si medici, qui iuris peritiores sunt, monstrum iuridicum creatum esse putant, quo monstro imminentे medicus munere fungi quidem potest, sed non omnino sine metu.

Haec ratio et modus agendi, qui medicum a poena liberet, similis erit rationi, quae nunc iam in usu est. Hoc in actis diurnis legi. Sed non legi, qualis modus vel ratio agendi nunc in usu sit. Videtur esse huius modi.

Si nunc medicus post cuiusdam aegroti mortem inspectori cadaverum publico nuntiavit se, ab aegroto rogatum, ei mortem attulisse, postquam de gravitate morbi et doloris et cum aegroto ipso et, si essent, cum coniuge et liberis, et cum altero medico

diligentissime deliberaverat et una inspectori omnia acta vere per litteras relata tradidit, non condemnatur, si appareat eum eadem ratione eadem diligentia egisse ac alii medici in talibus casibus. Similis ratio agendi nunc in usu est in casu, quo medicus, non rogatus ab aegroto, - puta quandam, qui iam diu in comate est -, mortem allaturus est, et item in casu eius, qui ex morbo psychico mortem a medico poscit.

## STATISTICA

130.000	In Nederlandia quotannis centum triginta milia hominum moriuntur. Triginta milia moriuntur ex eo ipso, quod medici consulto actionem medendi sistunt aut non incipiunt, sive ex euthanasia passiva. Viginti milia moriuntur ex medicamentis, quibus medici dolores gravissimos quidem sedant, sed quae mortem maturent.
30.000	Anno millesimo nongentesimo nonagesimo medici duobus milibus hominum aegrotorum mortem attulerunt medicamentis mortiferis adhibitis, cum rogati ab ipsis aegrotis essent, quod euthanasia activa vocatur. Eodem anno medici aliquibus quadringentis hominibus aegrotis auxilium aut consilium dederunt in morte sibi afferenda, quod vocatur auxilium in euthanasia.
20.000	400
2.000	Eodem anno medici aliquibus mille hominibus aegrotis mortem attulerunt, cum ab ipsis aegrotis non rogati essent. Inter eos aegrotos fuerunt ii, qui in diuturno comate sopiti essent, et infantes defectibus gravissimis nati.
400	
1.000	

## QUID CIVES NEDERLANDI DE EUTHANASIA CENSEANT

78 %	Duodeoctogenae partes centesimae ius activae euthanasiae probant, denae partes centesimae non probant.
10 %	
17 %	Septenae denae unumquemque casum euthanasiae ab iudice iudicandum esse censem.
40 %	Quadragenae censem mortem ei, qui in diuturno comate sopitus sit, afferri licere, si declaratio scripta extet, qua in antecessum euthanasiam activam in casu gravissimo poposcerit, aut si alio modo constet eum ius euthanasiae in casu gravissimo postulavisse. Ex his rebus concluditur eam rationem, qua medici nunc agunt in re euthanasiae, probari a plerisque civibus, quae ratio, nullo modo lege sanctificata, mox ex decreto generali regiminis confirmata erit. Sic maior pars parlamenti voluit.

## DE LEGIBUS: ALIA PULCHRA EXEMPLA



Saeculo septimo decimo in re publica Bataviae sive in re publica Septem Provinciarum lege constitutum erat: religio Christiana reformata est religio rei publicae. Religio Papalis sive Romana erat lege interdicta. Nihilominus mox novae ecclesiae catholicae exstribabantur, sed non plane, non in areis sive plateis, sed in angiportis, et sine turribus, sine campanis. Et mox caerimoniae sive missae catholicae non iam disturbabantur. Haec lex mansit usque ad annum quinquagesimum saeculi praeteriti.



Nunc lege commercium quidem medicaminis stupefactivi sive psychotropici cannabis vetitum est. Sed tabernae sive domunculae cafeariae innumerabiles sunt, in quarum fenestris vitreis praeconium legitur: Hic optima genera cannabis! Hodie legi in actis diurnis: mox ex decreto generali vetabitur cannabinum venumdari iuvenibus, id est mox vetabitur id venumdari iuvenibus, quod lege nullo modo venumdari licet.



# LATINE LOQUI...

UBI CONDISCATUR

## SEMINARIA LATINA

Societas Latina (Universität des Saarlandes, FR. 6.3, D-6600 Saarbrücken 11) hoc anno duo seminaria instituet, quae Dr P.C. Eichenseer suo iucundo more moderabitur. Invitantur et tirones, qui linguae Latinae vivum usum discere cupiunt, et peritiores qui eum exerceant:

### 25-31 mensis Iulii a. 1993 Morsaci (Morschach) in Helvetia

Interroganda est: Erica ROTH

Aeschistrasse, 6  
CH-3110 MUNSINGEN

### 6-13 mensis Augusti a. 1993 Vavriae (Wavre) in Belgica

Interrogandus est: Gaius LICOPPE

Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 BRUXELLES

## LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

Colloquia Latina, coquinam Romanam, ludos: hae discipulis aliisque Latinistis proponunt iuvenes moderatores. Duae fient Septimanae Latinae:

### 22-28 mensis Augusti a. 1993 Amoeneburgi (Amöneburg) in Germania

### 24-30 mensis Iulii a. 1993 Lugduni (Lyon) in Francogallia

Interrogandus est: Robertus MAIER

Dresdener Strasse, 10  
D-6000 FRANKFURT AM MAIN

Idem moderatores proponunt

## COMMERCIUM EPISTULARUM LATINUM EUROPÆUM


quo communicationem et amicitiam inter homines diversarum nationum adiuvent, praesertim tempore nostro, quo discordiae et contentiones toto in mundo terrifice crescunt. Iam plus 600 discipuli, studiosi, magistri aliquie ex toto orbe terrarum participant. Si commercium epistularum vestra interest, ad

Robertum MAIER

Dresdener Strasse, 10  
D-6000 FRANKFURT AM MAIN

vestrum mittite curriculum vitae: quot annos nati sitis,

num sitis discipuli, studiosi, magistri,  
quae sint vestra studia et oblectamenta.



## SEMINARIUM HAGENSE

Acroases, colloquia Latina et Graeca, musica. Huius seminarii praecipuum argumentum pertinebit ad Nederlandicos scriptores Latinos.

### 8-12 mensis Augusti a. 1993 Hagae Comitis (Den Haag) in Nederlandia

Interrogandus est: Marius Alexa

Burgstrasse, 3  
D-4712 WERNE

## FERIAE LATINAЕ

Inter Ferias Latinas, a Dre P.S. Siedel institutas, proponuntur colloquia, acroases, liturgiae Latinae. Hoc anno fient:

### 22-29 mensis Augusti Nicaeae in Francogallia

Interrogandus est: Clemens DESESSARD, Résidence des Collines, C.9  
500 rue Léo Brun  
F-06210 MANDELIEU